


ODARVM HORATII
SEQVNTVR ALIA

QVAEDAM GENERA

Carminum.

XX.



I t a l i a m f a t o p r o f u g u s L a u i n i a V e n i t

INITIVM PRIMI ÆNEIDOS

Vergilij.

Ille ego qui quondam gracili madulatus auena
Carmen, & egressus syluis, uicina coëg,
Vt quamuis auido parerent arua colono:
Gratum opus agricolis: At nunc horrentia Martis

ARma uirumq; cano: Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Laviniaq; uenit
Littora: multum ille & terris iactatus, & alto
Vi superum, seu æ memorem Iunonis ob iram.
Multa quoq; & bello passus dum conderet urbem,
Inferretq; deos Latio, genus unde Latinum,
Albaniq; patres, atq; altæ moenia Romæ.

Musa

MELODIAE.

Musa mihi causas memora, quo numina laeso
Quidue dolens regina deum, tot uoluere casus
Insignem pietate uirum, tot adire labores
Impulerit. tanta ne animis caelestibus iræ:
Vrbs antiqua fuit (Tyrus tenuere coloni)
Carthago, Italiam contra, Tyberinaq; longè
Hostia: diues opum, studiisq; asperissima belli,
Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam,
Posthabita coluisse Samo. hic illius arma,
Hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus esse
(Si qua fata sinant) iam tum tenditq; fouetq;.
Progeniem sedenim Troiano à sanguine ducti
Audierat, Tyrias olim quæ uerteret arces.
Hinc populum latè regem, belloq; superbum,
Venturum excidio Libyæ. sic uoluere Parcas.
Id metuens, ueterisq; memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro charis gesserat Argis.
Nec dum etiam causæ irarum, seuiq; dolores
Exciderant animo, manet alta mente repositum
Iudicium Paridis, spretaq; iniuria formæ.
Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores:

D. 3

28

